

**Bellum Sacrum Ecclesiæ Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de
Leodii, 1685**

Numerus XIII. Vt Deus exercituum, per Divinam Eucharistiam omnium
victricem, extendat potentiam Brachii sui, effundens iram suam in hostes
fidei: tollantur scandala è Templis dicatis Sanctissimæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

ordinatissima & efficacissima, dummodo illis ut bonos Christianos decet bene utamur, videlicet morum reformatio secundum Evangelium Christi, perseverans, humilis, & communis fidelium, charitatis vinculo unitorum, inter sece oratio, & bonorum operum multiplicatio; potissimum vero quotidiana Sacrificii Eucharistici oblatio; sancta ac frequens Communio. De quo tertio medio, haec memora fanda sunt.

NUMERUS XIII.

Ut Deus exercituum, per Divinam Eucharistiam omnium victricem, extendat potentiam Brachii sui, effundens iram suam in hostes fideli: tollantur scandala è Templis dicatis Sanctissimae Trinitati, & è castris fidelium.

§. I.

 I per totum orbem Christianum, Divina Eucharistia, eam, quam tanta Majestas in illa substantialiter residens, meritò ab omni-

K 2

bus exigit; reverentiâ & devotione adoraretur à fidelibus: & à Sacerdotibus immolaretur: brevissimo tempore, inimici Religionis nostræ debellarentur, & ad Orthodoxam fidem, Christianorum pietate universali, converterentur. Verùm nimis frequenter accidit, ut per corruptos malorū Christianorum mores, effrænatam vivendi in castris libidinem; scandala & sacrilegia, quæ in Templis ipsis videmus; nomen Sanctissimæ Triadis & J E S U-
C H R I S T I blasphemetur inter gentes. Enimverò si Turca, vel Judæus aut Paganus aut ex infidelium & Hæreticorum sectis aliqui, assistant Divinissimo Ecclesiæ militantis Sacrificio, quando est magna multitudo populorum, quid cogitabunt? quæ erunt animorum illorum sensa? quid dicent? aut potius, quid non dicent: videndo tot indigna in medio Sanctuarii. Nonne in suis erroribus obfirmato animo permanebunt, & Religioni nostræ maledicent maledictione pessimâ? nonne eò illos impellunt suâ irreverentiâ & impietate omnes illi, qui fidem quam verbis astruunt, factis pessimis,

criminibus & scandalis destruunt! nonne per illos nomen Dei blasphematur inter gentes, quæ irrident & contemnunt Sacro-Sancta Ecclesiæ Catholicae Mysteria?

Hi sunt de quibus dicit Apostolus, quod ipsis infidelibus deteriores sunt: Etenim Domum Dei vivi, Domum orationis, Templum cultui Augustissimæ Trinitatis consecratum, & Sanctuarium Altissimi, convertunt in speluncam latronum: ubi non viles pecunias, sed corpora ipsa quæ membra sunt Christi, & animas ipsas fidelium, in Sanguine Dei-Hominis renatas, ab Altari Dei vivi avulsas, per summum scelus, Asmodæo Demoni impudico sacrificant. Hæc est una ex abominationibus desolationis Ecclesiæ Dei vivi: ecce idolum voluptatis in Sanctuario Sanctissimæ Triadis quid turpius! quid Divinæ Majestatis ignominiosius! qui hæc legit intelligat: nonne una hæc est ex universalioribus causis, cur justo irati Numinis judicio, tot urbes Christianorum cadant in potestatem Turcorum? & tot Tempa Divino cultui dicata, in sacrilegas &

K 3

infames Mahometanorum ædes con-
versas, videmus, lugemus, & abo-
minamur.

Proh dolor! ubi adorabatur Deus,
unus, trinus, ibi adoratur Diabolus,
cum Angelis ejus! ubi Sanctissimum
Missæ Sacrificium, Agni Dei Imma-
culati, quotidie Augustissimæ Trini-
tati offerebatur; ibi omnes abomina-
tiones gentium, die noctuque exerce-
tur, in opprobrium Nominis, Cru-
cis, & Eucharistiae Corporis, & San-
guinis Christi J e s u. Hanc Dei iram
in orbem Christianum accendunt,
qui ejus Templa violent, mox à Deo
ultore ipsimet disperdendi. Exurge
Deus exercituum omnipotentissime,
ulciscere tot sacrilegia Christianæ Re-
ligioni ignominiosa, disperde im-
pios, expelle è regno tuo sævissi-
mos Nominis tui hostes: contère ini-
mi cos tuæ Ecclesiæ, quam acquisivi-
sti sanguine proprio: fac novam po-
tentiam in brachio tuo, renova mira-
cula tua per Sacramentum omnium
mirabilium tuorum maximum, ut
sciant gentes, quia tu solus es Deus:
da gloriam novam tuo Sancto Nomi

per hoc admirabile Sacramentum :
quod est Mysterium fidei, novum opus
omnipotentis brachii tui , & totius
mundi victoria, ac triumphus inferni.

NUMERUS XIV.

*Mirabiles victoriae, virtute Eucha-
ristie, omnium Dei mirabilium
maximi, per Christianos Principes
de fidei inimicis reportatae.*

§. I.

Antiqui Gentiles , solem hunc
visibilem , certaminibus præ-
sidere crediderunt: tanquam
ducem exercituum. Ideò Persarum
Reges, cùm ad Bellum procedebant,
solis imaginem , globo crystallino in-
clusam in medio castrorum , in subli-
me elatum, omnium oculis exhibe-
bant, ut ab omnibus invocaretur ad
felicem Belli exitum; sed nulla socie-
tas fidelibus cum infidelibus. Sciunt
Christiani solem justitiæ , non aliud
esse, quam JESUM-CHRISTUM;
& omnes Catholici, solem hunc my-

K 4